DISPUTATIONIS

DE IIS, QUAE

CAROLUS MILTITIUS

CUM

LUTHERO

INPRIMIS ALTENBURGI IN AEDIBUS SPALATINI EGERIT,

PARTICULA II.

SCRIPSIT

HENRICUS EDUARDUS APEL,
PHILOSOPHIAE DOCTOR, GYMNASII PROFESSOR.

ALTENBURGI,
EX TYPOGRAPHEO AULICO.
MDCCCLIII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

CAROLUS MILTITIUS, vetustissima et nobilissima equitum Misnensium gente ortus,*) ex qua Ludovici Seckendorfii aetate egregii viri summis et amplissimis honoribus in Saxonia fungebantur,**) natus est patre honestissimo, Georgio Sigismundo, arcis Miltitiorum ad Albim inter Misenam et Dresdam sitae domino.***) Coloniae Agrippinae educatus et literis leviter imbutus, Moguntiae, Treviris et Misenae, quum ecclesiasticis dignitatibus destinatus esset, in collegia Canonicorum cooptatus est. Idem Friderici Sapientis gratiam sibi conciliavit atque in aula principis multos familiari amicitia sibi conjunxit. Circiter annum CDXV. „clericus Musinensis"†) Romam venit ibique mox Pontificis maximi notarius et pontificii cubiculi magister „secretus et familiaris", denique „nuntius" et curator „apostolicus" factus est. Fuit autem Miltitius summo Pontifici tam jucundus et gratiosus,††) ut Fridericus princeps elector, pontificii favoris illo tempore studiosissimus, aliique viri illustres eo tanquam patrono uterentur, cujus ope et auctoritate res suas Romae gererent, negotia conficerent, beneficia a Pontifice maximo impetrarent. Ac Fridericus quidem jam extremo anno MDXV. Miltitio Romae

---

*) Circiter annum MCCCCLXXXX.

**) Cf. Lud. Seckendorf, Commentarius histor. et apolog. de Lutheranismo, p. 61. — Hac nostra aetate tres e gente Miltitiana maxime innotuerunt: Ditericus, regis Borussorum legatus *(General-Lieutenant)*; Carolus Borromaeus, regi Saxonum a consiliis intimis, poëta egregius et musicae artis peritissimus, qui d. XVIII. m. Jan. a. MDCCCXXXXV. obiit, et Alexander de M., regis Boruss. cubicularius et consiliarius, qui a. MDCCCXXXXIII. mortuus est.

***) Vid. de hac Miltitiorum arce, cui nomen est Scharfenberg, Car. Preusker, *Blicke in die vaterländ. Vorzeit etc.* P. III. (Lips. 1844), p. 6 sqq.

†) Hoc nomine appellatur Miltitius in literis Leonis X. ad Georgium, Saxoniae ducem, d. XXIV. m. Octbr. a. MDXVIII. datis.

††) Cf. Val. Ern. Loescher, *Vollständige Reformationsacta und Documenta* T. II. (Lips. 1723), p. 386.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

versanti per literas mandaverat, ut aureae rosae donum sibi acquireret.*) Neque ita multo post Lutheri causa ad eundem scripsisse videtur, id quod e literis, quas ad Raphaelem de Rovere Cardinalem m. Sextili a. MDXVIII. dedit,**) colligi potest. Etiam academia Vitebergensis eodem fere tempore***) Carolum Miltitium per epistolam adiit rogavitque, ut, quum ipse Saxo-Germanus esset et gratia multum apud Leonem X. valeret, Lutheri patrocinium susciperet.****)

Qualis autem fuerit Miltitius ingenio ac moribus, e literis a Cochlaeo d. IX. m. Octobris a. MDXVII. ad Wilibaldum Pirkheimerum†) datis apparet. Ibi enim haec leguntur: „Est hic (Romae) D. Carolus Miltitz, quem nosse te puto, juvenis alacer, sollicitus et impiger, scriptor et camerarius apostolicus, magno praeditus favore plurimorum et gratia Pontificis, civitati nostrae maxime amicus et mihi a puero, quum esset Coloniae, benignus et familiaris, quo nunc non est inter Germanos hic famatior inter tot, quae obit, negotia.“ ††)

Talem igitur virum Pontifex maximus medio fere anno MDXVIII. „nuntium“ †††) in causa Lutheri designavit ††††) atque extremo mense Octobri ejusdem

---

*) Cf. Tentzel, *Histor. Bericht vom Anfang und ersten Fortgang der Reformation Lutheri. Nebst Cyprian's Urkunden etc.* T. I. (Gothae 1717) p. 413 sq. Loescher II, 552. III, 828. Seckend. I, p. 61. — Etiam Georgio, Saxoniae duci, gratum fecit Miltitius. Vid. Manicius, *Die Einführung der Reformation in Annaberg*, p. 35.

**) Conferas disputationis nostrae particulam I. (Altenb. 1844), p. 10.

***) Die XXV. m. Septembris a. MDXVIII. Vid. Loescher II, 385. Luth. Opp. ed. Altenburg. I, p. 118. Walch (*Luther's Schriften etc., Halle* 1740—50) XV, 533.

****) „Magnificentiam Tuam etiam atque etiam vehementer rogamus, ut hominem pientissimum simul et eruditissimum erga sanctissimum Dominum nostrum D. Leonem X. Pontificem Maximum ita habeat commendatum, ut impetrare possit, quod sese obtulit facturum pro defensione sua. Nam quum *Te gratiosum sciamus apud Pontificem summum*, non dubitamus, Te adjutore, Te patrono eo facilius consecuturum quod petimus, quo mitioris est ingenii Pontifex Maximus. Da igitur, quaesumus, hoc patriae Tuae, ut Germanus Germano non desis“ etc. Loesch. II, 385. Cf. Sleidani Historia reformationis, ed. Hoche (Lips. 1846), p. 9 sq. Spieker, *Gesch. D. M. Luther's und der durch ihn bewirkten Kirchenverbesserung in Deutschland.* P. I. (Berol. 1818), p. 351.

†) De Wilibaldo Pirkheimero, viro doctissimo ac de emendatione sacrorum optime merito, vid. Car. Hagen, *Deutschlands literar. und relig. Verhältnisse im Reformationszeitalter.* I, p. 188 sqq. et H. A. Erhard, *Gesch. des Wiederaufblühens wissenschaftlicher Bildung.* III, 10.

††) V. Heumanni Documenta literaria (Altorfii 1758), p. 40.

†††) Aliquantum interest inter *nuntium* et *legatum* pontificium. Vid. Neudecker, *Allgemeines Lexicon der Religions- und Kirchengesch.* III, p. 57 sqq.

††††) Loesch. II, p. 314. 552.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

anni ad Fridericum septemvirum, inter Germaniae principes post imperatorem longe spectatissimum, cujus auxilio atque opera, quum imperator propediem creandus esset, admodum indigebat,*) in Saxoniam legavit.

Quam quidem legationem Miltitius Georgio Spalatino**) his verbis nuntiat: „Salutem, frater amantissime! Hodie vigesima hora Sanctissimus Dominus noster Leo X. ad manus meas .... Rosam illustrissimo Principi Friderico allaturum. Et simul iniunxit, quod bullas indulgentiarum mecum ad dominationem suam Illustrissimam portem. Hoc te sicut fratrem amantissimum ignorare nolui, quod *solus* hoc Illustrissimo Domino nunties, me venturum omnia ista simul allaturum, etiam „breve," sicut in forma confessionalis, amplissimum et alia. Tamen antequam *Bononia* egrediar, tibi amantissimo et fidelissimo largius scribam. Illustrissimo Principi ac Domino et *benefactori* scriberem, si tempus fuisset; nunc ista super posta, ut ita loquar, vadit. Cum .... tunc me singularissime commendo. Et velis, ut peto, me Illustrissimo Domino commendare ac aliis dominis meis et parentibus, scilicet Bernhardo Hirsuelt et Johanni de Wyssenbach et Johanni de Doltz aliisque omnibus amicis. Cito cito, die X. Septembris, 1518. Tuus servus Carolus de Miltitz, Camerarius Pontificis."***) Nimirum Romae pontificii satis intellexerant, ad incendium exstinguendum auxilio atque opera Saxonis septemviri opus esse, qui in dies magis magisque Lutheri rationibus consuleret et prospiceret. Itaque novam plane viam ingressi sunt, qua neque Fridericus, cujus gratiam ob imperatorem proxime creandum sibi conciliare volebant, neque Lutherus, cujus conatus omniam assensu comprobabantur, vulnerarentur, controversiae autem cum bona gratia componerentur.

---

*) Nimirum Leo X. non Carolum, Maximiliani nepotem, sed Franciscum, regem Galliae, imperatorem creari voluit. Itaque Fridericum, qui sua qua pollebat apud Germaniae principes et civitates auctoritate in imperatore proxime eligendo et creando longe plurimum valeret, ad suam causam perducere eique apostolicae benevolentiae signum, auream rosam, quam ille jam diu ambierat, mittere decrevit, internuntio usus viro, qui principi electori gratiosissimus atque in ipsa Saxonia natus fuit. Cf. L. Ranke, ***Deutsche Gesch. im Zeitalter der Reformation.*** I, 387 sq.

) De Spalatino, cum quo Lutherus intima familiaritate conjunctus erat, nuper disputavit D. Loebe in ephemeridibus societatis historicae, quae Altenburgi floret, T. II. fasc. II, p. 202 sqq. fasc. IV. p. 357 sqq. Cf. Neudecker et Preller, ***Georg Spalatin's histor. Nachlass und Briefe.* T. I. (Jenae 1851), p. 3—16.

) Tentzel-Cyprian, ***Histor. Bericht vom Anfang und ersten Fortgang der Reformation Lutheri etc. II. 42. 53. Loesch. II, 553. Scripta est haec epistola X. die Septembris a. 1518.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ac Miltitius quidem, homo versutissimus, quum res a Cajetano in pejus mutata esset, quae ipsi a Pontifice maximo mandata erant, diligentissime ac prudentissime persecutus est*) omnique ope atque opera contendit, ut Lutherus in gratiam cum Pontifice rediret. Triplex autem Pontifex Romanus ei injunxerat negotium, primum, ut, quum causae statum diligentius explorasset animosque populi satis tentasset, cum Luthero de pace in republica Christianorum restituenda ageret totamque illam de venia Pontificis Romani impetranda controversiam componeret; deinde, ut Friderico quam dudum affectaverat auream rosam deferret, quae multis cum caerimoniis ac pompa quotannis a Pontifice Romano et consecrari et ad singularem benevolentiam declarandam principi cuipiam donari solet;**) denique, ut Friderici animum illo aureae rosae dono et blandis adulationibus a Luthero abalienaret atque ad partem sententiamque Pontificiorum traduceret.

Priusquam tamen Miltitius ex Italia decessit, Leo X., Pontifex Romanus, epistolas quasdam Friderico principi, Spalatino, Pfeffingero, aliis inscriptas ei dedit, quibus legatio, quam suscipere dignatus erat, aliqua ex parte mutata est. Id quod etiam e literis Pontificis Romani Tuscanellae die XV. m. Octobris a. MDXVIII. ad Miltitium datis intelligitur, in quibus mandata ab eo peragenda accuratius exponuntur. Ibi enim haec leguntur: „Te nuntium et commissarium nostrum, qui rosam auream .... ad dilectum filium, nobilem virum, Fridericum, Saxoniae ducem, sacri Romani imperii Electorem, quem ob

---

*) Cf. Ranke, *Deutsche Gesch.* I. 387. C. Hagen, *Der Geist der Reformation.* I, p. 22: *„Miltitz war ganz der Mann für einen solchen Auftrag; es entging ihm die Stimmung der Nation nicht, und darum hielt er die Milde bei Luther für doppelt nöthig.“*

**) De hoc maximo ac sacratissimo *aureae rosae* dono cf. Spieker, *Gesch. D. M. Luther's*, p. 119. Neudecker, *Allgem. Lexicon der Religions- und christl. Kirchengesch.* IV, p. 172 sq. Ita vocatur rosa gemmis distincta, quae „quarto die dominico sanctae quadragesimae chrismate sancto delibata odiferoque musco inspersa cum benedictione apostolica aliisque adhibitis sacris caerimoniis a Pontifice Romano consecratur atque alicui ex primoribus Christianorum, regi aut principi, de sancta apostolica sede bene merito, quotannis dicatur et mittitur“ (sunt verba Leonis X. Cf. Tentzel-Cypr. II, 62. Seckendorf, Commentar. etc. p. 65. Walch, p. 890 sqq.). De notione et vi aureae rosae Leo X. ipse agit in literis a Miltitio cum aurea rosa Friderico Sapienti tradendis (Tentzel-Cyprian II, 62. 66. Walch XV, 890 sq.), dicens, illam rosam indicare summam *laetitiam voluptatemque* e morte J. Christi perceptam, qui numen divinum hominum sceleribus violatum *sanguine* suo sanctissimo expiaverit. Unde eo annuorum jejuniorum solis die, qui „Laetare“ dicitur, aurea rosa consecrabatur. — Ceterum etiam professor theologiae Erfurtensis, Johannes Zachariae, qui concilio Constantiensi interfuerat pravasque quas censebant Hussi Pragensis opiniones oppugnaverat, auream rosam a Pontifice Romano accepit. Vid. Walch XV, 1687. XXII, 2068.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

majorum claritatem et proprias ipsius virtutes tali honore imprimis duximus honestandum,*) una cum quibusdam literis indulgentiarum nostro nomine deferas, elegimus, sperantes praefatum ducem .... nobis esse nullatenus defuturum. Volumus tamen, et tibi in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis latae sententiae et indignationis nostrae poenis committimus et mandamus, *ut nihil de praedictis rebus eidem duci, nisi de consilio, voluntate et expressa licentia dilecti filii nostri, Thomae Cardinalis nostri, tradere et assignare debeas ullo modo nec praesumas.*"**)

Apparet, Miltitium a Pontifice Romano jussum esse auream rosam, quae illo tempore ad Fuggeros argentarios Augustam Vindelicorum missa esse videtur,***) literasque pontificias retinere nec quidquam cum Friderico principe de pacis conditionibus agere, priusquam rerum statum accuratius cognovisset, Friderici animum tentasset Thomamque Cardinalem consuluisset. Ac revera illud aureae rosae donum anno demum insequenti (1519), die XXV. m. Septembris, legatis Friderici, inprimis Fabiano de Feilitsch, Altenburgi delatum est.†)

Extremo mense Octobri a. MDXVIII. Miltitius Roma profectus non auream quidem rosam, verum plurimas Pontificis Romani literas ad Fridericum principem††) aliosque viros nobilissimos datas secum tulit, inter quas potissimum

---

*) Ipse Pallavicinus, Loiolae assecla, in „historia concilii Tridentini," p. 18 Friderici laudes hic verbis praedicat: „Inter hos (sc. principes de religione bene meritos) erat Fridericus, non majorum modo pietate, sed propriâ, *si eum ante Lutheri tabem consideremus" etc.* Christophorus Scheurlinus Norimbergensis, Bononiae, ubi multis annis juris disciplinae se dederat, m. Nov. a. 1505 orationem in laudem Germaniae et ducum Saxoniae habuit eamque Friderico dedicavit. In hac oratione „omnium virtutum vivax imago" Fridericus vocatur, qui „felicitate Sullam, magnitudine Pompejum, clementia Caesarem, liberalitate Cimonem vel aequet vel antecellat." Cf. Seckendorf p. 56.

**) Cf. Tentzel-Cyprian, II, 56. Loescher, II, 554. Walch, XV, 811.

***) Cf. Loesch. I, 555.

†) Vid. Seckendorf, p .63. Tentzel-Cypr. II, 61. 65. Walch XV, 894. Fridericus ipse illud Pontificis Romani munus tam diu retardatum accipere noluit. — „Rosam, quam vocant auream, a Leone missam, nullo honore dignatus est, imo pro ridiculo habuit Elector." Lutheri Opp. lat. I. prooem.

††) Friderico duas epistolas inscripsit Leo X., unam, quae ad Miltitii legationem, bellum contra Turcas gerendum et Martinum Lutherum, „perditionis filium," spectat (Tentzel-Cypr. II, 71. Loescher II, 557. Seckendorf p. 65. Walch XV, 812), alteram, quae non nisi de aurea rosa ejusque vi et virtutibus agit (Tentzel-Cypr. II, 62. Seckend. p. 65. Walch XV, 891). In hac altera epistola, eodem die XXIV. m. Octobris ad Fridericum data, ne minima quidem Lutheri mentio fit. — Conferas quae de hisce epistolis disseruit Neudecker, *Gesch. der deutschen Reformat. v.* 1517—1532. p. 240.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

memoratu dignae sunt literae ad Degenartum Pfeffingerum, qui fuit Friderico a consiliis intimis, et Georgium Spalatinum d. XXIV. m. Octobris datae.*) Quos quidem viros, quum apud principem electorem plurimum valerent, etiam atque etiam hortatur, ut, diligenter considerantes, quanto decore et munere Saxoniae ducem dignum duxerit, et quam detestabilis sit Martini Lutheri, „*Satanae filii*," temeritas,**) Miltitio in iis, quae suo nomine sit acturus cum Friderico, bonam operam navent, huic ipsi autem de opinionum Lutheri pravitate persuadeant atque una hoc agant, ut noxiae herbae ex agro Christi revellantur et exstirpentur.

Eodem fere modo Julius Medicaeus Cardinalis,***) qui, Leoni X. amicissimus et sanguine conjunctissimus, cancellarii officio fungebatur, de Carolo Miltitio negotioque ei mandato ad Degenartum Pfeffingerum et Georgium Spalatinum scripsit eosque rogavit, ut Fridericum principem ad majorum imitationem hortarentur, ne quid illorum memoria indignum committeret.****) Exstant praeterea epistolae Pontificis Romani eadem de causa eodemque consilio missae ad Donatum Grossum, canonicum Numburgensem, qui idem apud Fridericum gratia multum valebat, et ad senatum Vitebergensem,†) a quo petit, ut neque consilio neque opera Miltitio desit, „quo sibi commissa libere exsequi possit."††) Denique, ut nihil pompae deesset, codicillos episcopo, qui in aurea rosa solemniter tradenda esset sacra celebraturus, exhibendos secum tulit Miltitius. Quibus quidem literis episcopus jubetur, omnibus ac singulis Christianis fidelibus, qui huic caerimoniae interfuerint et „pro Pontificis Ducisque incolumitate sanctaeque Romanae ecclesiae felicitate et Christiani nominis propagatione quinquies orationem Dominicam et toties salutationem Angelicam†††) recitaverint,"††††) plenam peccatorum veniam et impunitatem largiri.

---

*) Tentzel-Cypr. II, 82. 86. Loesch. II, 559. 561. Walch XV, 815. 819.

**) „Nimia temeritas, quae et notissimam haeresin sapit et tanti Ducis clarum nomen claramque suorum progenitorum famam denigrare potest." Loesch. II, 559.

***) Postea Pontifex maximus factus Clemens VII. dictus est.

****) Tentzel-Cypr. II, 84. 89. Loesch. II, 560. 562. Walch XV, 817. 819.

†) Tentzel-Cypr. II, 91. 98. Loesch. II, 563. 564. Walch XV, 820. 821.

††) Etiam Georgio, Saxoniae duci, Car. Miltitium per literas commendavit.

†††) *Ave* dicere solent.

††††) Sunt verba Leonis X., quae in codicillis supra commemoratis leguntur. Loescher II, 556.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ex his omnibus intelligitur, inchoatam a Luthero sacrorum emendationem Pontifici Romano admodum invisam fuisse atque odiosam. Satis enim intellexerat, pontificiam dignitatem et doctrinam in summo discrimine versari. Quam ob rem, ne quid respublica Christianorum detrimenti caperet, videndum sibi existimavit, atque ut Lutherum novis rebus studentem novaque opinionum commenta tradentem per literas et internuntios ab incepto revocaret controversiamque quam celerrime componeret, omnes nervos contendit. Quamvis autem omnia, quibus propositum assequi posset, experiretur atque in istis, quas modo commemoravi, epistolis Lutherum probris et maledictis persequeretur: vim tamen, ultimam Pontificiorum Romanorum rationem, ei adhibere non ausus est. Atque illae ipsae epistolae satis declarant, in quibus angustiis et difficultatibus Pontifex maximus fuerit. Neque enim Fridericum adiit, ut Lutherum sive condemnaret, sive in carcerem conjiceret, sive Romam perduceret, sed iram non nisi per verba effudit. Neque Spalatino et Pfeffingero consiliorum sociis et adjutoribus uti alienum duxit majestate sua, quum aliquo numero atque honore essent. Unde factum est, ut plurimi in Lutheri sententiam perducerentur.

Dum haec geruntur, Lutherus, nihil opis vel salutis a Pontifice Romano sperandum esse ratus, d. XXVIII. Novembr. a Pontifice ad concilium futurum provocavit.*) Quum vero de Miltitii adventu et Friderici timiditate**) certior factus esset, principe ipso adhortante peregre proficisci decrevit atque ad abitum e Saxonia in Galliam se accinxit.***) Veritus enim est, ne poena gravissima

---

*) Conferas primam disputationis nostrae particulam, p. 16.

**) Testimonia hujus timiditatis proferuntur a Walchio XV, 824 sqq. Cf. De Wette, *„M. Luther's Briefe, Sendschreiben und Bedenken“ etc.* I, p. 195: „Verum princeps pro me sollicitus, mallet tamen me alibi habere locum.“ — Fridericus princeps veritus est, ne Miltitius Pontificis Romani nomine Lutherum ad poenam exposceret. Cf. De W. I, 191. Tentzel-Cypr. I, 381.

***) Jam d. XXV. Novembr. MDXVIII. se iter parare ad Spalatinum scribit. „Caeterum expecto maledictiones ex urbe Roma quotidie: ideo omnia dispono et ordino, ut, cum venerint, paratus et succinctus eam cum Abraham, nesciens quo, imo certissimus quo, quia Deus ubique.“ De Wette I, 188. — D. II. Decembr.: Nisi venissent heri literae tuae, jam parabam recessum, mi Spalatine, sed et adhuc sum in utramvis partem paratus.“ De W. I, 189. — D. IX. Decembr.: „Accepi heri ex Nurmberga, esse in via Carolum a Miltitz, quem tria brevia habere pontificia, quidam fide dignus vidisse dicitur, ut me capiat et Pontifici tradat“ etc. De W. I, 191 sq. 195 (: „dissuasit — Spalatinus — ne tam cito in Galliam irem“). — „Anno 1519 misit rosam Leo X. per Carolum Miltitium, qui multis egit mecum, ut Papae reconciliarer. Is habuit septuaginta brevia apostolica, ut si princeps Fridericus illi

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

afficeretur sacrificiisque interdiceretur.*) Priusquam vero e Viteberga decessit, cum amicis convivium, quo iis valediceret, instituit. Inter coenam autem Spalatini literae Luthero traditae sunt, quibus monebatur, ut domi remaneret, nisi jam abiisset, quum Miltitius spem faceret, fore, ut res colloquio aut disputatione componeretur.**) Quo factum est, ut Lutherus nec Vitebergam nec docendi munus relinqueret, imo Altenburgi in aedibus Spalatini cum Miltitio colloqueretur.

Miltitius, priusquam Saxoniam intraret, Thomam Cajetanum, Pontificis Romani legatum, quem in Suevia se inventurum esse sperabat, convenire voluit.***) Quum vero Cajetanus in Austriam ad Maximilianum imperatorem profectus esset, ad Pfeffingerum in Bavaria tum versantem, cum quo vetustate amicitiae conjunctus erat, medio fere Decembri se contulit. Paucos dies ibi commoratus, cum Pfeffingero per Varisciam in Saxoniam profectus est. In quo itinere ubique animos populi tentavit et, quid de Lutheri causa ac Pontificis Romani doctrina homines sentirent, sciscitatus est. Et mox quidem plerosque Luthero, paucos tantummodo Pontifici Romano addictos et deditos esse, persuasissimum habuit, atque a vi prorsus esse abstinendum intellexit. Quod quidem ipse Lutherus in prooemio operibus latinis addito his verbis narrat: „Prodebat autem coram me (Miltitius) consilium cordis sui, dicens: O Martine, ego credebam, te esse senem aliquem theologum, qui post fornacem sedens ita disputasset; nunc video, te esse adhuc integrum aetate et validum. Si haberem XXV millia armatorum, non confiderem, te posse a me Romam perduci; exploravi enim per totum iter animos hominum, quid de te sentirent. Ecce, ubi unum pro Papa stare inveni, tres pro te contra Papam stabant. — Illud vero ridiculum erat. Exploraverat etiam mulierculas et virgines in hospitiis, quidnam

---

me traderet, sicut Papa per rosam quaerebat, per singula oppida affigeret unum, et ita tutus me perduceret Romam.“ Luth. Opp. lat. T. I. in prooemio.

*) *Sacrificiis interdicere = in den Kirchenbann thun.* Cf. Caesar de bello Gall. VI, 13: „Si qui aut privatus aut populus eorum (druidum) decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Quibus ita est interdictum, hi numero impiorum ac sceleratorum habentur, his omnes decedunt, aditum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque his petentibus jus redditur neque honos ullus communicatur.“

**) Cf. Tentzel-Cypr. I, 381. Walch XV, 831.

***) Cf. Loescher II, 566. Walch XV, 825. Errat igitur Ranke (*„Deutsche Gesch. im Zeitalter der Reformation“* I, 388), haec dicens: *„Er (Miltitz) hütete sich wohl, sich bei seiner Ankunft in Deutschland an den Legaten (Cajetan) zu wenden, der ohnehin allen Credit verloren hatte und jetzt dem Kurfürsten grollte.“*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

de sede Romana sentirent. Illae, ignarae hujus vocabuli et sellam domesticam cogitantes, respondebant: Quid nos scire possumus, quales vos Romae habeatis sellas, ligneasne an lapideas?"*)

Miltitius, postquam Geram venit,**) Spalatinum Altenburgi illo tempore morantem***) de adventu suo per has literas certiorem fecit: — — „Applicuimus oppidum Gerou hesterno die cum magnifico viro, D. Degenhardo Pfeffinger, quem in Bavaria solo paterno suo peroptate offendimus. Verum cum animo statueram, sequi Rev. Dom. Cardinalem S. Sixti****) de latere legatum apud Caesaream Majestatem in Austria tunc agentem, et certior factus de Degenhardi ad Curiam†) Illustrissimi Principis discessu: nolui praeterire, nisi eundem convenirem, priusquam principem accederet. Itaque tumultuarie deliberatus cum eodem me ad Illustrissimum Ducem concedere. Quid causae fuerit, et qua occasione fecerim, a D. Degenhardo plene sentietis, me quoque crastino die coram audietis, Deo volente, nam paulum hodie percunctari ob malam corporis dispositionem cogor etc. Ex Gerou vicesima sexta Decembr. MDXVIII. Humilis servitor Car. de Miltitz, Nuntius apostolicus."††)

Postero die†††) Miltitius Altenburgum venisse ac de legationis fine cum Spalatino egisse videtur.††††) Quum vero causam controversiae de venia peccatorum impetranda excitatae ubique per Germaniam in Tezelium conjici intellexisset, hunc totius tragoediae auctorem Lipsia, ubi in coetu monachorum

---

*) Conferas literas Lutheri ad Sylvium Egranum et Joh. Staupitium datas (De Wette I, 216 et 230) et Pallavicini historiam concilii Tridentini I, p. 19. no. 5.

**) Die XXV. m. Decembr. 1518.

***) Spalatinus jam ex anno MDXI. Canonicus Altenburgensis factus est, id quod legitur in „Vita Georgii Spalatini ex ipsius αὐτογράφῳ descripta MDXXXIV," cujus exemplum in tabulario societatis historicae Altenburg. invenitur. Quod quidem exemplum Prellero Vimariensi debemus. Cf. D. Loebe: *„Einige Nachträge zu Spalatin's Lebensgesch."* (in ephemeridibus societ. hist. Altenburg. II, 2. p. 203). — Ceterum mirandum est, quod Spalatinus in libris a se editis neque aureae rosae, neque actorum Miltitianorum mentionem facit.

****) Cajetanum.

†) *Hoflager.*

††) Tentzel-Cypr. II, 104. Loesch. II, 566. Walch XV, 825.

†††) Die XXVII. m. Decembr.

††††) Die XXVIII. m. Decembr. Fridericum principem convenit. Cf. Menckenii Scriptores rerum Germanic. T. II (: Spalatini Chronicon s. Annales), 593: „Die innocentum ad principem nostrum venit Carolus de Miltitz, sedis apostolicae nuntius."

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ordini S. Dominici adscriptorum versabatur, Altenburgum ad se evocavit.*). Quo factum est, ut opiniones praejudicatae, quas de Miltitio ejusque legatione habebant, mox evanescerent. Tezelius autem, timore perculsus, Altenburgum venire non ausus est et per literas,**) quae hominis inscitiam, timiditatem et ignaviam satis declarant, apud Miltitium se excusat. Infestum sibi iter esse affirmat, quia Lutherus totam fere Germaniam, Poloniam et Hungariam concitaverit, ut nusquam secure vivere possit. Scripta autem est illa epistola, quae a Spalatino e latino in patrium sermonem conversa est,***) his verbis:†)

„Grossgünstiger Her!

Ewr Erwird ermant mich, das sie mir doch zw gebieten hette, zw ir gen Altenburg zw kumen, von ir etwas sonderlichs zw hören. Nu solt mich solcher arbeyt vnnd reyss nicht verdriessen, Ewr Erwird zw willfahren, wenn ich mich ane meyns lebens nachteyl durfft aus Leypzick begeben. Wann Martinus Luther, Augustiner, hat die mechtigen nicht allein schier in allen Teutschen Landen, sondern auch in den könychreichen zw Behem, Ungarn vnd Polen also wider mich erregt vnd bewegt, das ich nyrgent sicher bin. Benannter Martinus Luther hat auch in jungster seyner Handlung zw Augsburg vnd in der Appellation d n process seyner Citation vnd die gantze Beschwerung, so er leyd, durch vmstende clerer denn das liecht mir felschlich aufgelegt vnd zwgemessen vnd mich verleumbdt vnd beruchtigt, als solt ich ketzerey vnd Gotteslesterung gepredigt haben, vnd den Ernwirdigsten in Gott Vatter vnd Herrn, Ertzbischofen zw Meintz vnd Magdburg vnd des heyligen Stuls zw Rom Cardinal übergangen vnd inen nicht weiss ich aus waser listikeyt nicht in diesen plan gezogen. So doch hochbenannter Ertzbischof inen bestelt hat zw citiren vnd nicht ich, wie des Gott mein getzeug ist. Nu hab ich meine predig vorlängst Bebstlicher Heylickeyt erkenntnyss zwgestellt, mich auch der lesterung wider die heylige Junckfraw, so er mir zwgemessen, in vergangenem Jar mundtlich vnd schrifftlich erlichen, wie Ewr Erwird auss hieneben übergeschickten Copeyen vernemen wird, entschuldigt. Aber solche meine

---

*) Literae ad Tezelium missae non amplius exstant.

**) Die XXXI. m. Decembr. 1518 datas. — Tezelius scripsit: „a. 1519“ pro more illius temporis, quo annus a Christi nataliciis incipiebat. Seckendorf p. 61.

***) Epistola autographa deperdita est.

†) Cf. Tentzel-Cyprian I, 370 seqq. Loescher II, 567. Walch XV, 860. Spieker, *Gesch. D. Martin Luther's etc.* I. p. 119 sq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

entschuldigung vnangesehen mysst mir berurter Martinus abermals vnverschemlich zw, als solt ich ketzerey vnd Gotteslesterung gepredigt haben, aller Menschen gemut wider mich unversönlich zw bewegen vnd mir widerwertig zw machen, von welchen etliche, wenn ich zwweilen vom predigstul steyg, mir mit antzeigung der augen drawen (drohen). So bin ich auch von vil dapffern vnd glaubwirdigen lewten verwarnet worden, ich soll mich aufs allerfleyssigst vorsehen. Denn mir haben vil von des Martini anhang den Tod geschworen. Derhalben kan ich zw Ewr Erwird, die ich lieber denn ein Engel sehn wolt, aus meynes lebens fahr nicht kummen. Darumb wolle mich Ewr Erwird vmb Gottes willen, vnd von wegen meyner allergrosten forcht, entschuldigt haben, wann (denn) ich hab bis anher den heyligen Bebstlichen stul alletzeit geliebt, vnd will Inen dieweyl ich lebe lieben. Des freyheyt oder privilegien zw verteydingen vnd beschirmen, ich ob viel jaren, vnd sonderlich jetzo, weyl Martinus auf seynem vornemen besteeth, vntzallige ferlickeyt des lebens, des gerüchts vnd guts vom gemeynen folck, von der geistlickeit vnd von andern erliden hab, von welches Bebstlichen stuls wegen ich mit vnendlichen betrübnüssen vnd scheden angefochten werd. Aber ditz hindan gesatzt. Ich will die ere des Bebstlichen stuls biss an mein ende wider alle seine widerwertige vnbemühet verfechten. Derhalben gebiet mir Ewr Erwird, was ich thun soll, so will ich Ewrs bevels geleben (Ihrem Befehle nachleben), wenn ichs allein ane meyns lebens fahr thun kan.

Geben zu Leypzick, am letzten tage des Decembers anno Dei 1519 (1518).

Bruder Tetzel."

Verum haec hactenus. Crevit enim inter scribendum materiae ubertas. Quum vero angusti termini huic commentationi scholasticae scripti ne eorum quidem historiam capiant, quae Carolus Miltitius cum Luthero Altenburgi*) in aedibus Spalatini egerit, de iis mox alia oblata scribendi opportunitate disputabo.

---

*) Etiam Liebenwerdae et Lichtenbergae Miltitius cum Luthero disputavit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

entschuldigung vnangesehen mysst ·schemlich
zw, als solt ich ketzerey vnd Gotte ·ien gemut
wider mich unversönlich zw bewege ·n welchen
etliche, wenn ich zwweilen vom p ·ler augen
drawen (drohen). So bin ich au ·en lewten
verwarnet worden, ich soll mich a ·r haben
vil von des Martini anhang · kan ich
zw Ewr Erwird, die ich lieber de ·s lebens
fahr nicht kummen. Darumb wo ·llen, vnd
von wegen meyner allergros ·n (denn)
ich hab bis anher den heyligen Bel · Inen die-
weyl ich lebe lieben. Des freyheyt ·eschirmen,
ich ob viel jaren, vnd sonderlic · vornemen
besteeth, vntzallige ferlickeyt des le ·nen folck,
von der geistlickeit vnd von andern ·tuls wegen
ich mit vnendlichen betrübnüssen v ·tz hindan
gesatzt. Ich will die ere des Bebst · alle seine
widerwertige vnbemühet verfechten. · was ich
thun soll, so will ich Ewrs beve ·wenn ichs
allein ane meyns lebens fahr thun

Geben zu Leypzick, am letzter ·518).

Verum haec hactenus. Cr · ubertas.
Quum vero angusti termini huic ·ne eorum
quidem historiam capiant, quae · ·urgi*) in
aedibus Spalatini egerit, de iis m ·disputabo.

---

*) Etiam Liebenwerdae et Lic ·avit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf